

... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve

... **I**n tempore procreandi ueritatis et
... **I**n tempore procreandi ueritatis et
... **I**n tempore procreandi ueritatis et
... **I**n tempore procreandi ueritatis et
... **I**n tempore procreandi ueritatis et
... **I**n tempore procreandi ueritatis et
... **I**n tempore procreandi ueritatis et
... **I**n tempore procreandi ueritatis et
... **I**n tempore procreandi ueritatis et
... **I**n tempore procreandi ueritatis et

... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve
... **Q**uoniam in helve

88

Mani die leryhu 3 Brücke =

(= 44) 1) Sacrobüste, Johannes de

Sphaerionem opus certum.

[Leipzig: bei Walter des Capellans, 1485-1489]

Hain X 74 295

BMB. III, S. 636.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

(= 45) 2) Vegius, Maſſeris (nicht: Vitorius?)

De veritate et philoſophie

Leipzig: Konrad Kachelofen.

Hain X 14942

Hain X 15929, BMB III S. 632

3. Tibullus, Albinus:


Ec. 8


Elegia de amore et lani Eximio Messalae

BMB
III,
S. 623

(= 46)

Leipzig: Konrad Kachelofen. nicht nach 44 S 27





I. U
o
B
II. S
III. P
IV. C
V. P
VI. S
VII. ti
VIII. ca
IX. C
X. E
XI. J
XII. h
XIII
XIV
XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XX
XXI
XXII
XXIII
XXIV
XXV

- I. Utuperatio et laudatio Philosophiae quibus orationibus contraxit ab Illust. Adoleſcentib. D. Bartholomaeo Waldſteinio et D. Carolo Zetino et Informatione Alberti Uoiti Doruſi.
- II. Schola Argentinenſis Joann. Ludovici Harueneri.
- III. Parentalia anniuersaria a Joanne Majore.
- IV. Oratio habita in feſto Catharinae a Joann. Majore.
- V. Parentalia anniuersaria a Joanne Majore.
- VI. Solemne feſtum collegii Philoſophiae in Academia Wittebergienſium ueteri celebratum a Friderico Taurinano.
- VII. Fridericus Taurinanus bonarum literarum antiſtitis in Academia Witteberg. itemq. iuris doctus alibi locum.
- VIII. Carmen ſententiatae Ieſu Chriſti a Georg. Bibecko.
- IX. Carmen de Natiuitate Chriſti ab Iſtauo Gregorio.
- X. Elegia de Miſeria ſcholastica ſcripta a M. Joanne Erythreo.
- XI. Hiſtoria de Nauicula Chriſti a Sebastiano Stibato.
- XII. Natalis Lutheci a Wolſſango Czelho.
- XIII. Preces Anhaltinae Auctore Bartholomaeo Fremelio.
- XIV. Diſputatio de Inuocatione.
- XV. Theſe Theologicae de hac quaestione: Utrum orthodoxe dici poſſit, Fidem praesensam esse causam nostrae ad salutem Electionis.
- XVI. Diſputatio de Jurisdictione.
- XVII. Diſputatio de testamentis octo manentis.
- XVIII. Orationes in ſingulis huiusmodi Henrico Julio Jungero in Braunſchw. Dr. in iungangabo ſu.
- XIX. Epithalamia in honorem D. Martini Galli.
- XX. Carmen nuptiale ſcriptum in honorem M. Joannis Tolletii.
- XXI. Epithalamion D. Andreae Keays.
- XXII. Xagispioy in honorem D. Aegidii Tolſchetz.
- XXIII. Libanotis imago pice et roſae conjuncta a D. Joann. Lehman Doctorem lectis Medice.
- XXIV. Epithalamia in honorem D. Wilhelmi Duſſi.
- XXV. Ueſus epithalamii in nuptias Dn. Chriſtophorii Reſtiggi.
- XXVI. Nuptiali ſacro D. Henrici a Waldſtein Baſonip.
- XXVII. In nuptias Dn. Wolſſangei Kiſewetterip.
- XXVIII. In nuptias Dn. Joannis Kiſewetterip.
- XXIX. Nuptias Auguſtini Reibackip.
- XXX. In nuptias D. Dauidis Wolſſip.
- XXXI. Epithalamia in honorem Dn. Joannis Schultetip.
- XXXII. A celebratam nuptiarum Chriſt. Flemingip.
- XXXIII. Epithalamia in honorem Chriſt. Mackip.
- XXXIV. A celebratam Nupt. Chriſtoph. Chyſarip.
- XXXV. Nuptias Doct. Wolſſangei Amhingi.
- XXXVI. Carmina Gratulationis Wolſſ Amhingi.
- XXXVII. Epithalamion Urbano Ottonip.
- XXXVIII. Epithalamion M. Alberti Hattunip.
- XXXIX. Epithalamion in obitum D. Joachimi Eneſti Principis Anhaltini a Barthol. Fremelio.
- XL. In obitum Nicolai Maji.
- XLI. Carmina Epicea et Conſolatoria ad D. Zachariam Polum obitum filii patris gregis lucentem.
- XLII. Albi Tibulli Elegiarum optimi Elegiae de amore et lau. huius Meſſape.
- XLIII. In obitum Marthae Greg. Beſmanni ſibre.
- XLIV. Joann. de ſacro Bulto ſpherae opusculum.
- XLV. Maſſei Ueſis leuſenſis liber de Ueſitate et Silaſſe inſcriptus.

[Faint, illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule, covering the page. The text is arranged in several columns and is significantly faded.]



VITUPERATIO ET LAUDA-
TIO PHILOSOPHIAE,
DVABVS ORATIONIBVS
*contrariis in Illustri Illustrissimorum Princi-
pum Anhaltinorum &c. Gymna-
sio, Seruestæ instituta;*

AB

Illustribus & Generosis Adolescentibus:
D. BARTHOLOMÆO WALDSTEINIO.
&
D. CAROLO ZERO TINO.

Ex Informatione,

Alberti Voiti Borussi.



SERVESTÆ.

Anno M. D. XCVII. Sum Petri & Pheben

BARTHOLOMAEVS, BARO IN VVALTSTEIN,
DOMINVS IN ARNAV ET MILETIN.

Ἀναγραμματικῶς

EN VIRTVS NOBIS STEMMA ORNAVIT:
ILLA NITOR: IN VNA LAVDEM HABEO.

A Vdierat Peitho, Baro quæ VValdsteinius ore
Intonso, eloquij rata, virtutisq; futura
Signa daret; simulans Sophiæ modò laudibus, arte
Obscuram egregia verborum offundere nubem:
Viderat & Peitho, quantum mirata stuperet
Docta virum simul & juvenum mirata corona,
Attonitis inhians animis, quæ copia fandi,
Qui cultus, vocisq; sonus, quæ gratia linguæ,
Compositi vt vultus, atq; ora decora loquentis:
Maeste, ait, ingenio Iuuenis! tibi cœlitus illa,
Illa hominum fato cessit facundia maior.
Perge modò: hanc etenim bene si formaueris arte,
Formatam assiduo bene si perfeceris vsu,
Nescio, quid magnum, quid non mortale sonabis,
Hinc, quod nomen habet potes vti lemmate tali:
EN VIRTVS NOBIS quia STEMMA ORNAVIT: & ILLA
NITOR ego, atq; simul caput exeruisse per artes
Egregias tendo, verè immortalis IN VNÀ
LAVDEM HABEO insignem, victuram in sæcula laudem,
Sublimisq; ferat duplici super æthera famâ.

*Martinus Quælmaltz,
Coldicensis.*



Illustris et Generosi
ORATIO PRIOR

ILLVSTRIS ET GE-
NEROSI D. BARTHOLOMÆI
L. BARONIS A VVALDSTEIN,
Domini in Arnau & Miletin &c.

CONTRA PHILOSOPHIAM.



*xtat, Auditores, longè exoptatissimi, apud
Platonem venustissima narratio: quæ o-
stendit, quàm necessaria sit in omnibus acti-
onibus humanis copulatio harum duarum
virtutum, Verecundiæ nimirum, & Justi-
ciæ: quarum illam Philosophus funda-
mentum præcipuum virtutis, hanc verò
Hespero & Lucifero formosiorẽ esse affir-
mat. Summa autem narrationis hæc est: Cum homines ad ci-
uilem coniunctionem congregationemq; nati, quodam tempore,
propter injurias, quibus sese mutuo afficiebant, rursus dissiparen-
tur, Jupiter metuens generi nostro ne penitus extingueretur, mi-
sit in terras Mercurium, qui adduceret Verecundiam & Justi-
ciam, quibus simul & ornarentur, & continerentur ciuitates in ami-
citiæ coniunctione. Petijt autem Mercurius doceri se, quonam
pacto conferre deberet illas hominibus: Virum, inquit, ita diuide-
dere me oportebit, vt artificia diuisa sunt: Sic autem diuisa illa
sunt, vt vnus qui medicinam profitetur, multis alijs imperitis vsui
esse soleat, similiter & aliarum artium opifices. Ergo Iusti-
ciam, & verecundiam itane hominibus tradi vis, an pro-
poni vniuersis? Vniuersis, inquit Jupiter, proponi, & copi-
am fieri harum volo: Non enim stare ciuitates possent, si
his*

DE PHILOSOPHIA

his pauci potirentur, ut sit de alijs artibus. Quinetiam hanc à me illis legem feres, ut quicumq; à Iusticia & Verecundia alienus fuerit repertus, is tanquam pestis ciuitatis suæ interficiatur.

Hæc narratio Platonis eruditè docet, uniuersæ societatis humanæ non solum ornamenta præcipua, sed etiam vincula necessaria esse: Verecundiam & Iusticiam, earumq; virtutum arctissimam esse & indissolubilem copulationem. Deinde: non vni aut alteri, sed omnibus & singulis has virtutes necessarias esse ostendit; ac pænas, non solum magistratum, sed etiam Dei vindicis minatur violantibus decus Verecundiæ & ordinem Iusticiæ: Etsi igitur meo me pede metiens non sine rubore ac Verecundia ad dicendum acced. otamen, cum non minus Iusticiæ quàm Verecundiæ ratio habenda sit: & inter gradus Iusticiæ non postremum locum teneat πειθαρχία, hoc est, promptum obsequendi studium, & obedientiæ significatio: Ego verò à Dominis præceptoribus, & ijs in quorum fidem traditus sum, ex hoc loco verba facere iubeor: meorum partium esse agnosco, ipsorum hortatibus & monitis pro virili morem gerere: & potius infantia meæ imbecillitatem prodere, quàm officij, gratitudinis obedientiæq; non præstitæ crimen detestandum testatum facere. Vos igitur omnes reuerenter oro, ut quæ alios sæpe ante me benignitate & facilitate audiui, eadem me quoq; humanissimè complectamini.

Quærenti autem argumentum huic loco & his auditoribus conueniens: nullum nec illustrius nec dignius, nec copiosius sese obtulit, quàm artium ut vocant liberalium, & Philosophiæ studium. Vi enim aliàs in vitium ducit culpæ fuga; & declinatio alterius extremorum, nisi cautè & cogitatè tractetur, imprudentes in alterum deducere solet: Sic cum intelligerem, Auditores, hoc nostro seculo, quosdam isti studio ultra modum esse deditos: quosdam verò prorsus despiciere artesq; omnes pedibus conculcare, adeo quidem, ut ad utrorum partes te potius aggredes, haud facile dijudicaueris, consultum nostræ ætati existimauis, si PHILOSOPHIAM ipsam vituperarem & incusarem: non quidem hoc consilio, ut me
alijs

ORATIO PRIOR.

alijs præferre conarer, aut cornicum oculos configere, majorumq; inu-
uentâ damnare me velle ostenderem: Verùm ut ansam præberem
alijs bonis ingenijs, & patronos veritatis amicè inuitarem: qui
me deuium fortassis & lubricum, opinionis & erroris iter in-
gressum, comiter reducerent, labantem exciperent, labentem suble-
uarent, lapsum erigerent; regia verò, ut confido, via incedentem
iuuarent, confirmarent; & rectè sentienti animum sua quoq; com-
probatione & applausu adderent. Hoc enim est quod ago, hic meus
animus hoc meum institutum, hic scopus ad quem collineo, & in
hoc stadio mea qualiscunq; decurret opera: ut verum inquiratur,
ut inuestigetur, inuestigatum ametur, colatur & propagetur. Id-
circo vos, Auditores antequàm in arcem causæ ascendam, hoc vnum
rogo & obsecro, quod humanitatem vestram vel maximè decet;
ne quis animum iniquiore aliquo præjudicij succo tinctum & im-
butum hac adhibeat, sed ad finem vsq; attentionem suam mihi
largiatur. Cum causa perorata, receptuiq; cantatum fuerit, cum
meas rationes minus certas quisquam animaduertit: cum argu-
mentis firmioribus de veritate mecum contenderit, cum meas co-
pias in angustum coegerit, & demonstrationes, quibus vsus fuero,
eluserit aut eliserit; illi manus non solum victas vindictasq; dabo, &
herbam vltro, quod dicitur, porrigam: sed immortales quoq; gra-
tias agam maximoq; beneficio me affectum palàm prædicabo.

Ita, prob dolor, in vita comparatum est, ut optima mater
Veritas, pessimam sobolem odium & inuidiam plerunq; pariat: un-
de, etsi facile conijcio, quantam inuidiæ camarinam in me commo-
turus sim: adeoq; antequàm è portu soluam, multa pro me contra
auxum liuoris dentem, muniendo paranda existimem remedia: &
tantum tamen in vestra humanitate, candore, & beneuolentia, Aue-
ditores, situm habeo spei, tantum fiducia: ut, cum vel sinistra d-
vobis suspicari, vel etiam expectatione vestra diutius abuti, reli-
gio mihi multò debeat esse maxima: jam nunc vento & remigio,
quod ajunt, hoc mare ingredi constituerim. Dici autem non potest,
quàm absurda, quàm monstrosa in primo liuore occurrant; Certè

DE PHILOSOPHIA

quemadmodum Aeneas ad fauces Auerni accedenti plurima se obiecerunt monstra: Sic dum saltem nomino Philosophiam, tot incommoda, tot pestes statim se produnt & exerunt, quae detestationem & execrationem incurrunt, ut unde incipiam aut in quo desinam, facile reperire non possim. Quae tamen ut lucidius à me exponi, & plenius pleniusq; à vobis percipi queant: certis me limitibus & metis includam: quas transilire, & extra quas, etiamsi fortassis velim, tamen euagari, expatiari & exorbitare nequeam. Ostendam enim quàm turpis sit Philosophia: praeterea quàm inutilis sit; deniq; quàm sit difficilis, obscura, injucunda & insuavis. Quae omnia postquam paucissimis verbis nullo negotio planissimè & apertissimè demonstrauero, & oculis vestris subjecero, perorabo. Etsi enim rem non solum mihi, sed cuius alteri negatam conari, atq; aggredi fortassis alicui videbor; tamen si attentionem vestram hoc exiguo temporis spaciolo mihi non denegaueritis, id profectò à vobis impetrabo, ut non modo reprehendam Philosophiam: sed repudiandam, sed ex agro & finibus Religionis Christianae, & à Scholis honestatis pietatisque pellendam, relegandam, inq; extremas oras deportandam statuatis.

Nam (proh Deum atq; hominum fidem) quid incogitantius, quid stolidius, quid improbius, quid atrocius concipi potest aut suscipi? & quid minus decet, vel magis alienum est, & abhorret à prudenti pietate, & pia prudentia, quàm tanto amore prosequi, tantis laudibus in caelum extollere, tantis sumptibus promouere, tanto studio colere, tanto ardore defendere & tueri Philosophiam: quae, si quis recta modò rem velit reputare viâ: quid, quaeso, est aliud, quàm otiosissimorum hominum inuenum, & monstrorum repugnantiumq; de vanissimis rebus opinionum, ad decipiendos miseros mortales commentum & congeries? Vi enim principia eius rimemur, digitumq; ad fontem huius mali intendamus, & ab eius quasi incunabulis geminoq; ovo ordiamur; quis nescit eius primos quasi parentes, auctores, & altores esse Graculos ociosos, graculosq; loquaces garrulitate, vanitate, mendacis & perfidia passim

in hi-

ORATIO PRIOR.

in historijs adeò infames; ut non minus verè quàm eleganter gra-
uiterq; de his Palingenius canat:

Quid non confingit nugarum Græcia mater?

Et: — — Græci gens multum accommoda nugis,
Garrulitate potens, fingendiq; apta magistra.

Et iterum: — — Nil curat dicere verum

Gens hæc, & tota est monstris ac dedita nugis:

Qua duce nostri etiam delirauere Latini.

Ab his enim in Italiam propagata, sedes ibi fixit; donec tandem
etiam superatis Alpibus & hæc, aliasq; omnes regiones inuasit.
Postquam enim illi veræ religioni nuncium misissent, verumq;
Deum deseruissent, huiusq; loco fictitia Numina introducere &
colere cepissent; vicissim ipsi justo Dei iudicio deserti, ac reprobati
in errores horribiles prolapsi sunt. In quibus cum miris miserisq;
modis volutarentur: omnium rerum detestanda inscitia & igno-
rantia laborarent, inq; ista inertissima securitate & licentia impune
exultarent; ne tamen nihil agerent, ne torporem situmq; in hoc al-
to ocio contraherent, ne plæ obbrutesceret: vnaq; tandem cum nomi-
nibus ipsis ex hominū euellerentur memoriâ: malè agere cœperūt,
hoc est, omnia confingendi, quiduis comminiscendi, conficta literarū
monumētis mandandi, commentaq; sua longè latèq; in omnes orbis
partes, & ad credulos omnium seculorū mortales disseminandi occa-
sionem arripuerunt, arreptaq; strenuè abuti perrexerunt. Sic itaq;
Philosophia quàm primum caput leuare cepit, & velut Phidie il-
la Minerva ab inuentoribus & cultoribus suis loco illustri collo-
cari; breui tempore ipsi Philosophi in varias innumerabilesq; se-
ctas, familias, tribus disciplinaq; distracti abierunt. Quod certè sine
maxima veritatis jactura fieri non potuit; cum unica sit illa, nec
more Protei varias induere formas possit; sicut contra mendaci-
um multiplex, & instar caputum Hydræ Lernææ fecundum.

In fabulis est, Centauros olim & Lapithes de sponsa alteri rapta
seuissimè decertasse. Philosophi fuerunt. Philosophi inquã, quorū
dum proximus quisq; antecessoris æmulatione & inuidia æstuet:
dum.

DE PHILOSOPHIA

dum successibus prioris posterior contabesceret: desponsamq; socio
 Funon. in præripere, & palmam alteri partiam extorquere, inuen-
 taq; aliorum sibi ambitiosè vendicare & arrogare conaretur: dum
 rebus abstrusis nouis excogitandis & indagandis, anteq; inauditis
 eruendis insudaret: dum reliqua omnia contemneret, repudiaret,
 damnaret, sua insolentissimè efferret, jactaret: deq; principatu ob-
 tinendo contenderet: & deniq; pro libidine sua tyrannidem in ve-
 ritatis regnum exerceret: hic inquam, tam vana, tam friuola,
 tam monstrosa, tam prodigiosa ab ipsis conficta sunt: ut nihil tam
 absurdum à quoquam excogitari queat: quod non patronum è
 Philosophis aliquem inuenerit. In quam sententiam ipse Var-
 ro sapientum, si Dijs placet, istorum non postremus: nihil, inquit, à
 quoquam a groto somnari posse tam stultum: quod non aliquis
 Philosophorum seriò dixerit. Vi non minus in Philosophos,
 quàm in Aruspices usurpari possit illud Ciceronis dicentis: Se mi-
 nari, quod quoties aliquis eorum alterum intueretur, ob vanitatem
 non rideret. Cui calamitati stultæ stultitiæq; calamitosæ, ne quid
 tyrannidis defieret, inuenti sunt qui decreta sua velut Deorum
 responsa & voces è cælo lapsas accipi voluerunt: illaq; instar Gor-
 gonis reclamantibus obijcere non sunt veriti. Quo in genere aure-
 is literis dignum erat scilicet illud: αὐτὸς ἔφα; Ipse dixit, Ipse
 autem erat Pythagoras, qui tamen in sese descendens nugarumq;
 suarum pœnitundine ductus & pertæsus, non se sapientem amplius,
 sed sapientiæ tantum studiosum: alius verò paulò magis ingenuus;
 hoc vnum se scire, quod nihil sciret, professus est. O dignos auto-
 res tam pulchris inuentis! ô digna tam lepidis inuenta autoribus!
 haberem hic, Auduores haberem in quo spatia facere posset oratio,
 & hæc in conspectu oculisq; vestris exponere: nisi ex jam com-
 mēoratis, satis superq; turpitudinē Philosophiæ colligere possetis.
 Vi enim ex vno conflictu vel auritu ferri & silicis quàm plurimæ
 scintillæ hinc inde absiliunt: sic vel leui mentione quarundam cir-
 cumstantiarum planum est, omnibusq; patet: quàm contrariæ,
 quàm diuersæ, quàm repugnantes delirantium Philosophorum
 opiniones

ORATIO PRIOR.

opiniones, monstrosum hunc fœtum produxerint. Quem igitur tam cœcum, tam temerarium, tam vœcordem, tam ab omni religione alienum reperiri posse putemus, qui honestatē Philosophiæ prædicare, excellentiam commendare, utilitates ad cœlum vsque præconijs euehere, artes ipsas amplecti, exosculari, fouere audeat? hoc præcipue seculo, in eo cœtu, qui Christianorū nomen vsurpat, & clarissimæ post natam pietatem & renatam, lucis vsura fruatur. Veterum profectò & priscorum illorum ignorantia, quia affectata, excusationem non meretur: quanquam non desint, qui imprudentiæ & ignorantia scuto ipsorum errores contegere ac tueri: incogitantiaq; & inertia veterum velificari velint. Quãto verò minus locum habebit friuola ista excusatio hodie, & hoc nostro seculo, quo pietatis, veritatis, justitiæ, scientiæ, sapientiæ omniumq; virtutum absolutissimum exemplar nobis obuersatur Christus, radijsq; suis Sol ille omnia collustrat splendidissimus, quo vera, antiquissima sanctissimaq;, diuinoq; ore edita religio caliginem errorum omnium abstergit, viamq; salutis ingrediendam monstrat planissime. Certe filius DEI hanc præposteram, impiamq; sapiendi rationem minime probabit. Is enim cum adhuc inter homines degeret, quando, quæso, auditorib; suis auctor fuit, ut Philosophorum placitis cognoscendis animum applicarent? quando ad studia istiusmodi quenquam adhortatus est? Vel potius quando non ardentissimo affectu, summaq; contentione omnes & singulos ab ijs est dehortatus? quando non monuit, iussit, obsecrauit, ut ea cauerent, ut fugerent, ut detestarentur, ut execrarentur tanquam venenum præsentaneum. Moysen quidem, Moysen inquam nec non Prophetas cæteros audire iussit; cælestibus cognoscendis totos sese dedere, doctrinaq; de DEO & diuinis rebus, omne studium, omnem operam, omnem laborem impendere, & scripturas, quæ solæ norma sunt omnis veræ de rebus diuinis doctrinæ, accuratissimè perscrutari mandauit. Democriti autem placita amplecti, Epicuri dogmata sectari, Platonis figmenta admirari, Aristotelis nugas exosculari, ad ornare, & instar numinis

DE PHILOSOPHIA

*minis venerari, nunquam monuisse legitur: cum inter ea res hu-
 manas in postremis habendas, & spinosas, leues, ac nugatorias sapi-
 entulorum disputationes ne flocci quidem æstimandas esse, multũ
 ac sæpe, fideliter monuerit. Quid verò dicam de electo illo orga-
 no D. Paulo? is Colossenses suos nominatim admonitos, per Chri-
 stum seruatores nostrum obtestatur, ut, quam ipsis cara sit ani-
 marum suarum salus æterna, tam studiose sibi caueant, ne laqueis
 Philosophorum intricati, in errorem rapiantur. Nullum certe
 dubium est, quin D. Paulus radio Spiritus sancti afflatus, exa-
 ctissime prospexerit, nihil eã esse ad peruertendam & euertendam
 veram religionem aptius, nihil ad semina nouarum religionum
 spargenda accommodatius. Neq; verò hac saltem epistola Co-
 lossensibus à Philosophiæ studio cauendum esse, admonet: Sed e-
 andem adhortationem in reliquis suis epistolis passim repetitam,
 omnium Christianorum animis inculcare non desistit. Quis au-
 tem quæso, qui cum ratione tanquam æquisima lance rem perpen-
 dere & æstimare velit: quis, inquam, non intelligit, quòd hisce,
 præceptis ac consilijs fidelissimis nihil loci relinquere, & in hac
 terrestri, in hac (ut sacra loquuntur) carnali, in hac animali, in
 hac præpostera, in hac diabolica, vel ut ipsius D. Jacobi verbis
 utar, *δουλονώδης* sapientiã hærendo admonitioni, voluntati, &
 præscripto Christi aduersari, ut turpissimum: ita ab homine Chri-
 stiano longè sit alienissimum?*

*Audiuistis quam turpia, quam inhonesta, quam impia
 sint, quæ vulgus Philosophorum pro honestissimis vendit. Ex
 quibus ipsis etsi perspicua, plana, luceq; meridiana clarior apparet
 indignitas, ac iusta Philosophiæ repræhensio: Propius tamen e-
 am omnium oculis aspiciendam exponunt, cum multitudo tum
 magnitudo incommodorum, quæ inde tanquam ex Æliade malorũ
 omnium oriuntur. Vtilitates sane quam plurimas fingere, & va-
 rijs quasi coloribus exornatas nobis depingere nihil erubescunt
 egregij ipsius aduocati, ac præcones isti: & eas quidem adeo ne-
 cessarias, ut sine hac societatem & coniunctionem hominum ullo
 modo*

ORATIO PRIOR.

modo seruari ac consistere posse negent. Verum quis nisi talpæ
 cæcior nō videt, nullam reuera sed commentitiā planè esse hanc
 commendationem. Non delector ego Satyricis insectationibus:
 sed tamen cogitanti mihi de magnificis istorum hominum pro-
 missis, fictaq; Philosophiæ necessitate, sine qua potestates viresq;
 cæli collapsuras, omniaq; corruiura isti sibi somniant: venit in
 mentem cuiusdam apud Galenum melancholici, qui errore mentis
 angī animo cepit, ac timere: ne Atlas, quem Poëtæ fingunt hu-
 meris cælum sustinere, defatigatus, excuteret onus à se; atq; ita
 collisi omnes homines interirent. Vidimus etiam sæpè numero ac
 risim, simulachra quædã veluti òeri cedētia, quæ vel mutulorum
 vicē sustinet, vel extra abacos mutulorū porrecta sūt, eãq; speciē in-
 tuēti præbent, ut magnopere niti operi ferūdo, atq; insudare vide-
 ātur; cum reuera sensu sint carentia, ac nihil ipsa facie nitentiū sa-
 xeam adiuuenti firmitatem: similes hisce simulachris sunt, At-
 lantes isti Philosophici, quibus fabulosæ honestatis, necessitatis at-
 q; utilitatis in Repub. & Ecclesia speciem luculentam præferre
 moris est; stupidam autem eorundem ignorantiam atq; incuriam
 dissolutam intuentibus patet; eos nihilo utiliores esse, statuis istis
 lapideis. Quanquam igitur Philosophis mercaturam opinio-
 num suarum mirum in modum collaudare, & inani spe commo-
 dorum animos hominum delinire solenne est, longe q; famili-
 arissimum: tamen non est quod quisquam miretur aut moueatur.
 Quis enim non videt, fallacissimas ipsos hominum fraudulentorū,
 res futiles ac inutiles, nulliusq; omnino precij falsis laudibus
 in cælum usq; tollentium, adeoq; imprudentibus obtrudentium,
 artes mirificè quidem ac satis callidè, sed minus feliciter æmulari.
 Certè nec ouum ouo, nec lac lacti similis esse potest, quàm id
 genus Philosophorum est Pharmacopolis istis circumforaneis:
 qui magna hominum turba circumfusi mercium suarum ma-
 ximè fusorum laudes, virtutes, & efficaciam decantando,

DE PHILOSOPHIA

ac pleno ore, plenis buccis jactitando, & nescio quæ picta, ficta, & ementita emendicataq; testimonia sigillaq; ostentando, peierando deniq; fucum vulgo facere, adeoq; emtores allectare & inescare pulcre didicerunt.

Quis verò omnia totius Philosophiæ incommoda dicendo æquare, explicare, aut enumerare saltem poterit, etiamsi Attica eloquentia sit præditus? Examine omnes eius artes, euoluite omnes partes, excutite omnes angulos, explore omnia scrinia, perscrutimini penitissima eius viscera quasi & intestina: ne tenuissimam eius particulam prodesse; sed uniuersam, uniuersam, inquam, humano generi, & ex eo præcipue ijs, qui Christo nomen dederunt, obesse, summamq; & extremam perniciem afferre, manifestum est. Quid enim, quæso, meritum Christi obscurat, abolet? Philosophia. Quid vires humanas nimium extollit, peccatum contra originis extenuat, & deprimat? Philosophia. Quid inimicitia aduersus Deum, quid sensus carnis, quid mors in sacris appellatur? Philosophia. Quod præterea arrogantia, quod superbia, quod insolentia incendium seuisimum est? Certè Philosophia. Quæ pacis, quæ concordia, quæ dilectionis Christianæ pestis nocentissima? Philosophia. Quæ deniq; malorum omnium mater, radix, atque nutritrix? Non nisi Philosophia. Hos nouimus ministros fidelissimos, hos satellites perpetuos, hos comites indiuiduos omnis humane scientiæ. Detur enim nobis corpus, quod umbra non inse- quatur: detur ignis absq; calore, & dabitur etiam sapientia hu- mana hisce suis stipatoribus, ambitione, arrogantia, superbia, in- scitia, stulticia non comitata; unde etiam experientia genuit has voces ab ipsis Apostolis usurpatas: SCIENTIA IN- FLAT, & similes. Quid vero ex hisce oritur? Contemptus. Quid ex contemptu? Odium & inuidia. Quid ex inuidia? Rixæ & concertationes. Quid ex concertationibus? Audacia. Ex hac deniq; scelera & flagitia erumpunt omnia. Ac ne forte falsum, vel dubium certè alicui vestrum hoc videatur: Circumferte oculos, Quæ olim familia Philosophorum suæ sectæ præscripta bene,
re-

ORATIO PRIOR.

recte q̄ uiuendo expressit: Plato certè immanissimo isto puerorum amore flagrauit: Aristoteles Magnum illum Alexandrum, discipulum suum clam veneno sustulit: alij designarunt alia atrocitas, ad honestas aures relatu indigna: Qui ferè etiamnum hodie ordo istorum sic uiuit, ut suæ professioni est consentaneum: Contemplamini quæso, cõttemplamini illos ipsos homines Philosophiæ propugnatores, & paulò accuratius uitæ atq; morum ipsorum examen instituite. Offerentur vobis homines tam fastuosi, tam turgidi, tam inflati, tam tumentes & insolentes, ut ferè quilibet ipsorum ab animaduersionibus pædagogorum penè adhuc liuens præ se omnes alios despiciat, omnes fungos existimet, omnes pro nihilo putet, omnes quasi è sublimi derideat, omnes equis, quod dicitur, albis, longè præcedere, cælum vel digito attingere, & Octauus Sapientum sibi esse videatur: quamprimum vix primoribus, ut prouerbiū habet, labris studia Philosophiæ degustarit. Unde passim videas hodie & audias tot lumina Italiæ, tot columina Galliæ, tot statumina Belgiæ, tot ocellos Germaniæ, homines neëtare & Ambrosiâ pascendos: Soloni per similes, Platoni pares, Aristotele non inferiores, Homero, Virgilio, Ciceroni geminos. Hinc igitur quid expectabimus? Quid aliud? quàm quod diuus Paulus affirmat, hinc esse æmulationes, hinc obtreçtationes, hinc suspiciões, hinc calūnias, hinc inimicitias, hinc cõtetiões oriri multò perniciosissimas: quæ postea ad gubernationē Reip. & Ecclesiæ allatæ, omnia miscent, omnia turbant, euertunt, vastant. Siquidem ubi, cunq; pestibus illis locus relinquitur, ibi D. Jacobo teste, leuitas, ibi temeritas, ibi inconstantia regnum tenent, & ut verbo vno omnia complectar, πᾶν Παῦλον πρᾶγμα non paruorum sed maximorū, non paucorum, sed omnium, omnium, inquam, tantum non plurimorum malorum ibi redundatio est. Hæc est seges illa vitiorum, & flagitiorum uberrima, quæ ex agro isto humanæ sapientiæ, fertilissimo scilicet, enascitur: hi sunt Philosophiæ fructus, quibus in præsentia enumerandis locus fuit. Videtis ergo vanissimam, falsissimam, & planè nullam esse Philosophiæ necessitatem: quam

DE PHILOSOPHIA

tamen ad nuim usq³, sed non ex vero celebrare non dubitant e-
 gregij ipsius propugnatores. Et sanè quis non doleat vicem Eccle-
 siæ? Quis non pressis & flebilibus modis deploret statum Christi-
 anorum miserrimum, qui tanto tempore, tam indignis Philoso-
 phiæ ludibrijs ac vexationibus obnoxij & expositi fuere? Quis
 non detestetur cæcitatem, quis non deuoeat & excreetur impie-
 tatem quorundam, qui Christianorum nomen vsurpant, & tamen
 quos honoribus Academicis afficere volunt, eorum fidem prius ad
 Philosophiæ Platonice vel Aristotelice professionem iureju-
 rando asringunt: reclamantem verò manifestæ falsitati, & dog-
 mata cum sacris aduersa fronte pugnantia refutantem, ut malefi-
 cum, ut maiestatis reum, odijs prosequi non desinunt. Romani cer-
 tē, ut alia multa laudabiliter fecerunt, ita tales Philosophos diuer-
 sis temporibus vrbe eijciendo, ijsq³ aqua & igni interdicens ho-
 nestatis, grauitatis, & integritatis nomen famamq³ perpetuam ac-
 quisuerunt. Vinam autem etiam in Repub. Christiana aliqui
 principijs obstare, & nascenti malo, priusquam longius serpsisset,
 salutem quærere voluissent: faciliè quidem ab istiusmodi decus-
 manis malorum fluctibus immunes posteros præstare, & incommo-
 da propè infinita auertere potuissent. Sed optamus: &, prob dolor,
 mala nunc inueterata adeo inualuere, ut de ijs reprimendis, se-
 dandis, & sanandis spei ferè nihil sit reliquum. Foret certè in-
 stitutionis atq³ disciplinæ, quàm nunc est, ratio sanctior, & con-
 stantior: Foret certè morum integritas præstantior: Foret dubio
 procul Respublica minus labefacta: Minus Ecclesia Christi per-
 turbata. Sed quorsum dolore, dicam, an calore non quidem iniusto
 abreptus progredior? Regrediar ad institutum, unde longius ali-
 quanto digressus sum. Et si autem his quæ diximus Philosophiæ
 dignitas, satis infirmata, vituperatio contra eius iusta, satis con-
 firmata & comprobata est: ut nemini non persuasum iã esse debe-
 at aut possit eam studiosis adolescentibus, cane penus & angue fugiē-
 dā esse: tamē idē multo pluribus argumētis confirmari, & ad oculū
 quasi posset demonstrari nisi temporis ratio habenda esset: siens
 igitur

ORATIO PRIOR.

igitur volensque silentio plurima inuoluo: Et labore rem tam certam, tam testatam, tam manifestam ulterius probandi supersedeo. Quid enim opus est, ut alius hic repetam tot ac tantas difficultates, aditum ad Philosophiam nobis fere intercludentes, quas neque eloquentissimus quisque satis explicarit? Praesertim quid opus est, id fieri apud vos, qui quotidie legendo, audiendo, experiundo cognoscitis, nihil ea esse longius, nihil obscurius, nihil tam varijs ac diuersis opinionibus plenius, adeoque nihil intellectu difficilius, ut vel ipse Apollo intelligere nequeat. Quam enim artem in illa contentam, quam artis illius partem non alius alio modo ac methodo tradendam atque explicandam contemdit, ut summa sit inter illos ipsos, qui Philosophorum Coryphaei, suorum in genere Roscium perhiberi volunt, summa inquam inter illos ipsos sit dissensio: Ridet omnia Democritus, contra deflet cuncta Heraclitus: Nescit quaeque Pyrrhiae, et scire se putat omnia Aristoteles: carpit, et contemnit cuncta Diogenes. Nonne et hodie a Grammatico dissentit Grammaticus: Nonne a Rhetore, Rhetor dissidet: Nonne a Dialectico Dialecticus discrepat? Quod vero praestantiora altioraque, ut vocant, studia sunt, eo in ijs nugae intricatiores, opiniones agitantur monstrosiores, adeoque errores etiam accumulantur grauiores. Quos si omnes persequi velle, non solum dies, sed nox, sed vox ipsa me deficeret: nec sine taedio possem haec ego quidem in singulis ostendere, vos autem auscultare. Et ne quid miseriae aut monstri deesset, inuentus est nostro tempore RAMVS, nescio quis, ficulnus, inutile lignum: qui etiam ab arbore sua, Aristotele dico, toto caelo disidere deprehensus est: ut si hodie arbor ista repullularet, miraretur novos RAMOS, et non sua poma. Qui miser RAMVS, a qua manu hodie non vapulat? Sed mittamus illum. Iustam enim veritatis, insolentiae, et vae cordiae mercedem pensilis factus, et discerpius accepit: Si modo eius aduersarij hoc ipsius fato contenti manes eius non insectarentur immanissime, fructumque Philosophicae nimirum HUMANITATIS proderent egregium. Denique multos ipsos audimus esse in sua uitate, iucunditateque Philosophiae commendanda. Sed quomodo illa ad res, tam obscuras, tam absurdas, tam monstrosas,

D E P H I L O S O P H I A

tam difficiles, tam inenodabiles congruant, intelligentes iudicent. Redt Poeta, felices agricolae, inquit, bona si sua norint. Et certe si agricolarum & pecuariorum viuendi modum & morem huc conferas, multis pars sanguis Philosophiam praecurrendo ab his superari intelliges: Qui, licet laboribus aliquanto durioribus obnoxij esse nonnunquam putantur: tamen illos non sustinent perpetuos, sed honestissimam recreatione, mirificamque utilitate, suauitate & fructu incomparabili, temperatos, mitigatos, & conditos eosdem experiuntur. Nunc agellos suos fodiunt, refodiunt, arant, conserunt, occant, repastinant, grauioribusque rastris callum quidem manibus ducunt: paulo post copiosissimam messem in horrea conuectant. Nunc vinea sua excolunt, vites in quincuncem disponunt, luxuriantes putant, pampinant, viduas arboribus, aut statuminibus maritant, pedamentis canterijsque transuersas traducunt, firmi, ligant, iugant, propaginibus, malleolis, capreolisque vestiunt, palmies cincinni in morem contorquent: Paulo post uvas grauidissimas dulcissimasque demunt, edunt, premunt: musta condunt, uinaque recondunt, promunt bibunt, propinant generosissima. Nunc serendis & plantandis arboribus sunt occupati: paulo post legendis mitissimis pomis, pyris, prunis, se oblectant duntque mirifice. Nunc armenta, greges, pecudes, sub dio in pratis irriguis & florentissimis pascunt. Mox lac purissimum emulgent, butyrum saluberrimum conficiunt, & caseolos exprimunt pinguisimos. Nunc alueolos constituunt, apumque stimulos nonnunquam patiuntur: At paulo post mella dulcissima, neectarque eximunt caeleste. Et quis est a consuetudine hominum tam remotus, qui non compertum exploratumque habeat ipsos agricolae, & pecuarios sanitate & valetudine plurimum antecellere. Docet hoc color agrestium hominum natiuus: docet robur corporis Herculeum: docet morborum expers aetas: docet senectus longissima: Vnde viros quosque fortissimos non nisi ex hoc genere legisse in confesso est. Et conferre mihi aliquis cum hac vita Philosophicam ausit? quid enim horum ista secum affert? quos fructus procreat? quam delectationem praebet? quae commoda exhibet?

ORATIO PRIOR.

bibet? quas parit diuitias? quas opes suppeditat? quæ emolumentum?
 Minima profectò, penèq; nulla. Laboribus quidem distenditur grauis-
 simis, & quidem tantò grauioribus, quaniò animum corpore præstantiorem
 existere certum est: Industriam incredibilem, & studium indefessum postulat:
 Corpus frangit, sensus omnes hebetat: memoriam debilitat: curam diligentiamq; perpe-
 tuam desiderat: florentissimum ætatis verè exigit: Et ingenij vi-
 res excellentissimas exhaurit: vigorem omnem extinguit: totum deniq; hominem
 sola sibi vendicat, possidet & pessundat: adeoq; seruis & mancipijs suis
 mercedem dignam persoluit. Hoc est, postquam ipsi in sua domina colenda ætatem
 omnem contriuerunt: ipsi vicissim plerosq; aut inanes, vacuos, pallidos, squallidos,
 maridos, vietos, pannis annisq; obritos relinquit: Quem fructum Philosophiæ
 vox oraculi innuit; quod Zenoni, quo pacto posset vitam optimè instituere?
 quærenti, respondit; εὐτυχῆσαι τοῖς νεκροῖς. Si concolor mortuis fieret, hoc est,
 si Philosophiæ animum corpusq; suum excarnificandum totum manciparet:
 Quam in sententiam non solum sacræ literæ Philosophiam appellant Mortem,
 sed etiam alter ipsius quasi parens Plato, meditationem Mortis eam definire non
 dubitauit: ut vel hinc appareat, Philosophiæ homines ad res in hac vita per-
 agendas reddi ineptissimos. Sic Chrysippus inter nugas suas sedes cibi potio-
 nisq; obliuiscatur: Archimedes dum patria deflagraret, & miserrimè deriperetur,
 circulis in puluere pingendis intentus, Mortem ipsam, quam tantopere
 meditabatur, ante pedes esse nondum animaduertebat. Solon se Philosophiæ
 operam dando consenescere iactabat: adeo ut si alterum pedem in sepulchro
 haberet, tamen sui oblitum Philosophari velle affirmaret. Quaniò compendiosius
 & expeditius Empedocles: qui cognita Platonis ista Philosophiæ definitione,
 in Ætiam ardentem se coniciens, quod alij meditando sequebantur, ipse
 experiundo consequebatur. Tantum porro abest, ut pluri-
 mi hac inani contentione ad scientiam sapientiamq; peruenire potuerint,
 ut contra in insaniam inciderint, & in furorem acti sint.

C

Aut

D E PHILOSOPHIA

Aut si quos mollissime ista belua tradat, eos vanissimis nugis, somnijs & inanissimis fasciatis & demeratis in omnium rerum turpissimam ignomine herere sinit: ut cum Aristone Critolai discipulo fateantur, cum alias quidem Philosophiae esse partes, tum duas praecipue: quarum prima sit eorum, quae nihil ad nos pertinent: quam ipse Logicam appellavit, quod studium huius non sit necessarium, & ipsa dicendi facultas homini congenita: altera eorum, quae sunt supra nos, quam appellavit Physicam: quod homo propter caliginem mentis & motuum in natura inconstantiam, vel nihil, vel parum certi in eius studio assequi possit. Plurimos vero in praesentissima pericula ipsa praecipitavit: ut nesciam, an maiori probro, an damno patronos suos & cultores literarum atque artes istae affecerint, inde enim morbos innumerabiles oriri modo ostendimus, quos sequitur interitus: inde rei familiaris neglectus existit, quem sequitur paupertas: ex paupertate ludibria, despectio, contemptus hominum: ex contemptu desperatio: a qua difficilimum omnino non cadere (quae infirmitas est humanae naturae) in flagitium aliquod execrandum, ad perpetuam hominis infamiam, & magnum reipublicae detrimentum, aut saepenumero posteritatis universae. Exemplis ut ista demonstrarem, non est opus: cum constet, Socratem, summum, oraculi testimonio, Philosophum, sicut & haustu interfectum: Aristotelem & Demosthenem solum exilij causa vertisse: Platonem (pudet dicere, dicendum tamen est) Platonem, inquam, teste Plutarcho pediculis ad necem usque corrosam: Ciceroni certe magni constiterunt artes & literae istae usque adeo laudatae: quippe quae & caput ipsi, & manus amputarunt. Quod si sapientum quoque hac de re sententiam audire cupitis: audite quid unus praeter omnibus mortalibus sapientissimus mortalium Salomon dicat: Animum, inquit, ad scientiae & prudentiae, intelligite humanae, hoc est Philosophiae cognitionem appuli meum: Et deprehendi, eam quoque esse animi molestiam & cruciatum. Nam cum multa sapientia, multa quoque coniuncta molestia est. Quibus omnibus ponderatis & perspectis, viri illi sanctissimi, & optimis ac diuinis temporibus se-

ORATIO PRIOR.

temporibus seculoꝝ verè aureo proximi. Adamus, Noas, Abrahā
mꝰ. Isacꝰ, Jacobꝰ, patrūꝝ ille chorꝰ post habito hoc turpi, inutili
& dāno Philosophiæ studio; contrā integræ isti, innocenti, frugi
feræ, tranquillæ, simplici, & iucundæ agricolarum, atq; vtilionū
vitæ totos se dedere, eamq; secundum Deum veramq; religionem
unicè colere minimè sunt veriti.

Sed audio adhuc quendam nobis obstrepentem, & honores,
quos Philosophiæ artes atq; literæ conferunt, iactitantem, & ne
scio, quas Excellentias, quas Magnificentias, quos Bacularios, Ma-
gistros, Doctores, crepantem. Quorum quidem annonæ hodie vi-
lissimæ est. Neq; enim ætas nostræ unum, duosue, vel septem. Sed
in singulis urbibus ceu pecudum talium greges Sophorum nume-
rat. Verum nisi graue vobis est, quomodo illos alicubi (nescio enim
an eadem sit vbiuis ratio) subita & mirabili quadā trāsformatiōe
creari & fieri acceperim, accipite: Venit iuuenis stultus præ lucē-
tibus argenteis hastis ad templū. Præceptores illum sui prædicāt,
celebrant, seu amore, seu errore; tumet ille, vulgus stupet, plaudūt
affines & amici. Ipse iussus in cathedram scandit, cuncta iā ex alto
despiciens, & nescio quid cōfusum ex præscripta chartā, quā lege-
re sæpenumerò vix potest, murmurans. Tunc maiores certatim,
ceu diuina locutum laudibus ad cælum tollunt: tinniunt
interim campenæ, resonant carmina, coruscant faces, spargūtur flo-
res, fragrant balaniq;serta & corollæ à puellis missæ: strepūt tu-
bæ, volant annuli: magnus liber aperitur, clauditur; pangūtur of-
cula, deniq; caput istud lepidum, rotundo, nigro, aut purpureo, cæ-
ruleouè panno insternitur. His peractis descendit sapiens, (Dij
boni) doctus, excellens, qui modò ascenderat stultissimus. Mira
prorsus nec Nasoni cognita Metamorphosis: quamuis intereā
non ignoretur scitum illud cuiusdam ex medio illo sapientum gre-
ge de talibus suis nouellis Sophis testimonium: Nos accipimus pe-
cuniam, & mittimus, qualem vides, in patriam.

Quæ cum ita sint, Auditores ornatissimi, ut nec priuatos focos,
nec publicas leges, nec Reipublicæ jura chara, nec religionem

DE PHILOSOPHIA

ullam habere possit; quem artes istæ inertes, quem literæ vanissimæ, quem Philosophia deletat, stultusq; factus sit omnis homo à scientia, attestante Jeremiâ: ægrè ferimus ne adhuc Philosophiã à quoquam reprehendi: quid agimus: quid stamus: quid desideramus: quid moramur: quin aliquando expergiscimus, excitamur: quin viam sanctissimorum hominum vestigijs signatam & impressam ingredimur: quin Deum ipsum præcipientem, monentemq; audimus: quin obaudimus: quandiu tandem nobis gravissima hæc onera iniungi patiemur: quamdiu tristissimã hæc & durissima servitute nos opprimi sustinebimus: Certè, certè nisi coniunctis animis viribusq; huic tyrannidi obluetati fuerimus, onusq; hoc Aetna gravius primo quoq; die, primaq; occasione arrepta excusserimus, videbimus, videbimus, inquam, quas tandem in angustias peruenturi simus: quos in errores incursum: quos in furores prolapsuri: quam præsens deniq; in exitium nos cum tota posteritate simus præcipitaturi. Ipsa profectò Philosophia manibus pedibusq; obnixè hoc agit: nihilq; illi prius est, & antiquius: quàm uti surgentem juventutem ipsã in herbã enecare, præstantissimas corporis & animi dotes pessundare, Remp. diuexare, Ecclesiam miserè turbare, religionem delere, horribilè portentosarum opinionũ, cultuum, & morum confusionem introducere, adeoq; extremis malis uniuersum orbem terrarum inundare possit. Quapropter nihil reliquum est, nisi ut tantam pestem à Christiana republica ultra Getas, ultra Sauromatas, ultra Garamantas & Indos profliigare studeamus.

Quæ hoc loco, Auditores ornatissimi, à me clementius, mitius, aut mollius dicta sunt, quàm indignitas & atrocitas rei postulare videbatur; ea vos gravitate, atq; auctoritate vestra, iudicijq; maturitate ac seueritate compensaturos spero penitusq; confido.

DIXI.

ORATIO

ORATIO POSTERIOR,
ILLVSTRIS ET GE-
NEROSI, DOMINI CAROLI, LI-
beri Baronis à ZEROTIN, &c.

PRO PHILOSOPHIA.



VM in hunc ego excellentissimorum viro-
rum confesum intueor, Reuerendi, Magnifici,
Amplissimi, Clariss. Prudentiss. Consultiss. Doctiss.
& Ornatissimi Auditores: Demosthenis summi,
illius Atheniensium Oratoris exemplum non pa-
rum me sollicitum, anxium atq; consternatum reddit. Qui cum ab
Atheniensibus olim vnà cum Aeschine, aliisq; viris in Republie.
claris legatus missus esset in Macedoniam, vt coram Philippo Re-
ge causam de Pace oraret: Ita regis perterrefactus aspectu, &
auctoritate dicitur: vt & ingenium ipsum deficeret, omnisq; ora-
tio: Ita quidem; vt nisi Aeschines, cæteri q; qui in eadem legatio-
ne aderant, in se dicendi partes suscepissent: Infecta re eis, non sine
infamia & dedecore discedendum fuisset. Idem ego, ne in hoc cla-
rissimorum doctissimorumq; hominum cœtu ac corona eueniat,
vehementer sanè metuo: & cur metuam, longè plures grauioresq;
causas mihi habere videor. Quod si enim id summo viro, eloquen-
tissimo homini, & Oratori accidit ei, in quo, quantum possit elo-
quentia, natura ipsa quasi experiri voluit: Quid, obsecro vos, mi-
hi homini adolescentulo cogitandum putatis: qui ne in minimo
cum eo comparandus sum? Erat in illo corroborata ætas: erat sum-
ma prudentia: erat ingenium perfectum: summa auctoritas. In me
verò, quæ esse potest in hac ætatula dignitas: cui animus à naturâ
datus est pusillus: ingenium paruum: vox minus firma, & ad dicen-
dum auctoritas nulla. Erat in illo etiam dicendi vis tanta, tanta
copia, tantumq; robur: vt Philippus ipse subinde diceret: Se ma-
gis huius Oratoris extimescere fulmina, quàm omnium Athenien-
sium vel arietes vel machinas, vel propugnacula. In me, quæ
obsecro esse potest dicendi facultas: in quo vix inchoata est

DE PHILOSOPHIA

præceptorum cognitio: exercitatio parua: vsus adhuc planè nullus. Quæ, dum in hanc intuens coronam paulò mecum considero diligentius, Auditores: eò tandem metu, timore, ac sollicitudine progredior: vt vehementer dubitem: vtrum munus à præceptoribus meis honorandis delatum, cum periculo mihi suscipiendum sit: an verò, metu criminis inobedientiæ ingratiè deponendum. Veruntamen ipsa hac in dubitatione idem mihi succurrit, quod animum addidisse Aeschini, testantur Historici. Cum enim Rex oculis cum beneuolis placidisq; subinde aspexisset: suamq; hoc modo erga ipsum mentem benignam declarasset: ad id certè, quod oratione explicandum erat, animum ei & magnum & alacrem adiecit. Ita & ego, dum omnium vestrùm in me ora, oculosq; conuersos video: non possum non summam de vobis polliceri beneuolentiam, paratumq; audiendi studium. Quamobrem conabor sane, quocunq; possum animo, non quidem tam ad vos, viros excellenti doctrina claros, quam ad cõmilitões meos dicere ea, quæ ab hoc loco non aliena arbitrabor. Præsertim cum se mihi offerat hic meus amicus, D BARTHOLOMÆVS VVALTSTEINIVS, quem grauiter quidem optimarum artium studia inculare, eaq; impietatis infimulare, ac vanitatis arguere modò audiimus. Etsi autem liberalium artium cognitione, quam Philosophiam dicimus, nihil optabilius, nihil melius, nihilq; præstantius mortalium generi Dei concessu atq; munere datum est: tantaq; eius præstantia vt huiusmodi defensoribus non egeat: Tamen cum quorundam temeritas, quorum personam sustinere voluisse amicus hic noster videri potest: tam insigne bonum donumq; Dei reprehendere & vituperare non vereatur: & verò huiusmodi incogitantia inter bene institutos ferri nullo modo debeat, ne vel ipsa veritas vim patiatur, & opprimatur: aut victoriam ipsi reportasse sibi persuadeant: Ego potissimum hunc in locum conscendo, vt præterea hæc oratorias exercitationes me amare, ostendam: Veritatemq; colere: proq; virili parte defendere velle videar. Quoniam autem veritatis oratio simplex est, contraque hominum ingenia, calliditatem, solertiam facilè se per se ipsa defendit: & vt Socrates dicebat, facilè esse Athenas Athenis laudare: Sic cum ego quoq; expeditam provinciam suscepisse videar: apud vos commendandi ea quæ sunt vobis in more, imò in desitijs

ORATIO POSTERIOR.

lijs & amore : idcirco simplici & tenui orationis filo vtar : & sine pigmentis, fucatoq; nitore ipsius rationes refellere & refutare conabor : minimè dubitans , quin velut ipse non suam, sed aliorum potius temerè iudicantium sententiam protulerit : Sic perspicuo , & evidenti veritatis testimonio conuictus & confirmatus, triumphales suas Phalanges huc sit reuocaturus , & in castra se recepturus nostra : Ne verò in tanto, tamq; copioso argumento , & immenso quasi pelago huc illucè fluctuem : certos mihi terminos constituam , quibus, etiamsi velim, egredi tamen non possim. Ita vt eodem ferè ordine primum de honestate : deinde utilitate : tum facilitate & iucunditate Philosophiæ dicam : idq; quantum fieri potest breuissimè.

Inter magna & immensa beneficia quibus nos DEVS OPT. MAX. ornauit atq; affecit : non certè exiguum est munus atque donum, Philosophia : Hæc siquidem rerum magnarum & multarum, superarum, cœlestium, mediarum, infimarum, denique omnium diuinarum & humanarum, tum principiorum causarumq; quibus hæ res continentur, est cognitio atq; scientia. Siue enim de DEO cogitas, philosopharis : siue hunc mundum eiusq; effectorem consideras, philosopharis : siue de rebus fugiendis & expectendis differis, philosopharis : siue ratione & oratione benè vteris, siue tecum agis quid, siue cum altero contrahis, philosopharis : siue cœlum hoc totum, astris distinctum & ornatum aspicias, eiusq; motus conuersionesq; obseruas, philosopharis : siue initia rerum illa, ex quib. nascuntur omnia, inuestigas, philosopharis. siue deniq; animantes, arbores, herbas, plantas, admirabilemque hominis fabricationem perspicis, philosopharis. Ac ne plura, quæ sunt ferè innumerabilia consecter : hæc landandarum artium omnium procreatrix, ac parens meritò appellatur. Itaq; statim à principio mundi Adamus omnium hominum parens naturas animantium perfectè calluit, dum ipsis conuenientia nomina imposuit : & hoc Philosophiæ donum à Deo gratissimo animo accepit, auidissimè didicit, diligentissimè filijs suis tradidit, & ad omnem posteritatem fidelissimè propagauit : quandoq; cum filijs suis viridi in cespite consedit : non solum de DEO : sed etiam de natura rerum, de motu Stellarum, de Plantis, arboribusq; disputauit. Qui etiam cum ex Adamo didicissent, mundum diuerso tempore

*Defensio ex
Abulter
etc.*

DE PHILOSOPHIA

tēpore & diluuiō & incendio periturum: veriti, ne maiorum inuenta posteris subtraherentur, duas crexere columnas, latericiam & lapideam; Quibus creationem mundi, lapsum, & restitutionem hominum, inonumenta; artium insculpserunt: vt quancunq; mundus pœnam prius experiretur, earum tamen altera ad posteritatem extaret: sicut hoc expressè de posteris Sethi scribit Iosephus, affirmatq; lapideam etiamnum suo tempore in Syria seruata fuisse.

Atq; hunc secutus alter quasi genitor ac procreator humani generis Noas, ἀνάστα ἔγενετο ἡ γῆ ἀπὸ τῆς φύσεως. Ἐ δὲ ἄνω ὁ Ἄδάμ: Non minorem operam ac laborem in philosophandi studio posuit. Non enim est dubium, quin, qui singulis partem animantibus præbuit, & annum amplius in arca vixit, animantium omnium ortus, victum, figuras, stirpium naturas, omniumque ferè rerum, quæ è terra gignuntur, causas atque rationes sciuerit: & cum filijs suis communicauerit. Certè etiam Iacobus Patriarcha non omninò artium Physicarum fuerit rudis, necesse est, delibratas, variasq; gregibus suis dum conciperent, & biberent obijciens ferulas. Moysen etiam omni scientia Aegyptiorum institutum fuisse, eamq; excoluisse, sacra testatur. Quin etiam sapientissimus hominum & potentissimus Regum, Salomon de Cedro Libani vsque ad hyssopum, hoc est, de maximis ad minima differuit: & de volucibus, de piscibus, cæteris animantibus disputauit, atq; de his, vt memoriæ proditum est, volumina quædam conscripsit. Elisæus Physicarum rerum scientia instructus cibum venenatum aspersâ farina esui idoneum reddidit. Elias eadem dexteritate Ezechia Regis apostema curauit. Daniel etiam, qui inter tres eximios viros à Deo numeratur, in Babylone Chaldæorum literas & artes discere non erubuit. Ex quibus satis manifestum puto, non à Græculis, nescio quibus, vt aduersarii nugantur: sed à viris sanctissimis introductam, excultam, atq; amplificatam fuisse Philosophiam. Qui igitur tam impiè ingratus esse velit, qui tantum Dei beneficium contemnere, tamq; laudabile, & honestum religiosissimorum hominum studium vituperare, & in odium adducere audeat?

Atqui, aiunt, Christus in his terris cum versaretur, nunquam

ORATIO POSTERIOR.

quam auditores suos ad Philosophiæ instituta cognoscenda cōhortatus est. Moysen quidem vt discerent iussit: Prophetarum oracula vt scrutarentur monuit: Platonem verò, Aristotelem, Epicurum, & alios vt legerent, nunquam mandauit. Bella verò oratio. Loquere iterum, & repete: Christus Seruator Aristotelem non nominat: rectè. Platonis mentionem nullam facit: Probè Itaq; Philosophiam totam aspernatur, rejicit, damnat. Quid ego audio? Sed audi, quæso, vicissim: Christus cœlum nos contemplari, volucres intueri, lilia considerare iubet. Quid autem hoc est aliud? Quid, inquam, quam rerum naturam contemplari? aut, vt verius dicam, Philosophari? Ac si Seruator Platonem non nominauit, Aristotelis nullam mentionem fecit: Vbi quæso figmenta (vt isti loquuntur) Platonis admirari, Aristotelis placita exosculari vetuit? Nec verò diuus Paulus & Iacobus, vt aduersarij volunt, sapientiam omninò rejicit: sed quoniam nihil tam sanctum atque solenne est: quod non improborum hominum audacia violare, & in malam partem rapere tentet: ipsi saltem auditores suos admonent, ne sapientiæ studijs abutantur, & ita in errorem aliquem delabantur: Adeoq; abusum rei bonæ, non verò vsum Philosophiæ legitimum taxant. Imò dum alter ipsorum ait: ne quis decipiat vos per inanem *κενήν φιλοσοφίαν*, certè discernit inter genuinam veramq; sapientiam, & alteram quandam præposteram & erroneam. Sed aiunt porrò: Philosophiam dum de hominum viribus disputat, meritum Christi abolere, aut saltem obscurare. Quomodo verò, quæso, Philosophia aboleat id, de quo neque quicquam nouit, neq; scripsit vnquam? Sed adhuc contendunt, non necessariam Philosophiam, sine qua scilicet Apostoli rectè & commodè doctrinam ad salutem necessariam tradiderunt. Quasi verò exempla inusitata, insolita, & singularia vertenda essent in regulam, & Apostoli non doctorem habuissent ipsum Spiritum sanctum? Qui in ipsis per se, & vt ita loquar, immediatè fuit efficax: vt & in nobis: sed mediatè, per diuinas literas, ad quas intelligendas studia linguarum & artium, hoc est, Philosophia non parum adminiculi confert. Etenim multis maximisque sudoribus mediocris duntaxat dicendi facultas nobis paratur: quam & ipse Spiritus sanctus suo fauore adiuuat, & in nobis, vt dona sua

D auget.

DE PHILOSOPHIA

auget. Cum itaq; nos Spiritum sanctum eo gradu, quo habuerunt Apostoli, non habeamus, heu! quantum peccatum esset, exemplo eorum nostram excusare & palliare inscitiam? quantus furor, quanta impietas, & stultitia, quantum crimen, media proficendi diuinitus oblata, qualia verè sunt Philosophica studia, negligere, & nihili facere ea, quæ ornamento & adminiculo sunt Ecclesiæ, & tanquam folia fructus tegunt atq; ornant!

Et si autem satis ex his constare existimo: quàm laudabilis, quàm honesta sit Philosophiæ cognitio, quàmq; homine ingenuo digna: magis tamen apparebit veritas, si eius dignitas & utilitates, quas illi ineptis obiectiunculis suis obscurare conantur, enumerentur atq; demonstrentur. Cum enim, ut inquit Plato, Deus gratam de se se famam in artibus sparserit, Philosophia est præclarum τῆς θεογνωσίας πρῶτον δευτέρου: & ut olim Aegyptiorum suppellex ad vsus sacros conferebatur: Ita Theologiæ plurimum, si non ut fructus, saltem instar foliorum seruit. Vnde doctrinæ cælestis veritas cum bonis literis semper & emaruit & refluuit. Deinde si fides habenda Ciceroni, Philosophia vrbes peperit, dissipatos homines in societatem vitæ conuocauit, domicilijs, coniugijs, literarum & vocum communicatione inter se iunxit. Certè tum demum Respubl. beatæ sunt, quod inquit Plato, cum eas aut Philosophi regunt, aut qui regunt Philosophantur. Ideoq; Callimachus de Apollinis capillo salutem inquit & incolumitatem destillare, quibus irrigatæ ciuitates perpetuò floreat. Vir enim eruditus suo iure dicere potest, quod apud Ennium Pythius Apollos se eum esse vnde sibi populi, reges, omnesq; sui ciues consilium expectant:

Suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex

Incertis certos, compotesq; consili

Demitto, ut ne res temerè tractent turbidas.

Et cum felicitas publica è singulorum ciuium felicitate pendeat: singulorum autem felicitas in excolenda exercendaq; virtute præcipuè posita sit: & ad perfectam virtutem consequendam, expeditam viam sternant literæ: fieri certè aliter vix potest, quam ut, nisi in qua literarum cultura vigeat, florere absolutè ciuitas vlla possit.

Deinde

ORATIO POSTERIOR.

Deinde cum constet duo esse publicorum temporum genera, unum Pacis, alterum Belli, quomodo sine literarum adiumento iura describentur, suum cuique tribuetur, lites componentur, in futurum consulatur? His enim contineri salutem Reipubl. manifestum est. Bella verò non tam viribus, quàm consilio geri cui ignotum? Hæc verò industria ex historijs adeoque monumentis literarum hauritur. Hinc Agamemnon ad Troiam non multos Aiacis aut Achillis, sed Nestoris similes sibi optat: quod minimè dubitaret, horum sese operà atque consilio hostes superaturum, perituram brevi Troiam. Et Homerus non Diomedem, aut Achillem, aut Memnonem, aut Idomeneum, sed Vlysssem illum prudentem & eruditum virum nominat *πρωλίωροτον*. Dion etiam fortissimus ille Syracusanorum, Platonis conversationi, Timotheus Isocratis institutioni præclara sua facinora ferre solebant accepta. Philippus Macedo non tam classem triremesque omnemque exercitum Atheniensium, quàm Demosthenem Oratorem metuisset scribitur: quo sublato facile se Athenis potiri posse confidebat. Alexandrum profectò totius ferme orbis debellatorem, ille ipse Philippus pater gaudere se dixit, non tam quòd eum genuisset: quàm quòd eo tempore eum nasci contigisset, quo posset ab Aristotele imbui optimis præceptis, institutisque Philosophiæ. Tantum verò magistro suo Alexander tribuebat, ut ei diceret se non minus debere quàm parenti; cum ab hoc viuendi, ab illo bene viuendi rationem accepisset. Qui etiam præliandi rationem se ex Homero discere gloriari solitus est: huiusque poemata summo in honore habuit. Nam quid aliud Homerus Vlyssi & Achilli Palladem adiungens inuere voluit, quàm rationem & prudens consilium cum armis copulandum esse? quod intelligens Iulius Cæsar, Scipio alijque clari & illustres belli duces: & literati ipsi fuerunt, & secum in castra duxerunt præstantes eruditione viros: & cum decertandi fortitudine etiam rationem esse coniungendam arbitrati sunt. Nec enim (ut ait Poeta:)

————— *Solis viribus æquum*

Credere: sæpe æcri potior prudentia dextra:

Imò, ut alius inquit:

Pectora sunt potiora manu, vigor omnis in illis.

DE PHILOSOPHIA

Et memorabilis est vox Alfonsi, qui interrogatus, Libris, an Armis plus deberet? Libris, inquit: è quibus & arma & armorum iura didici. Et quinam hodie rem strenuè aduersus Turcicum Tyrannum gerunt, quam illi ipsi qui ab Arte instructi & Marte è quibus, vt reliquos præteream, certè anno superiore fortissimè dimicauit, seq; suumque caput hostili grassationi opposuit Illustrissimus Princeps & Dominus, D. BERNHARDVS Princeps Anhaltinus, &c. beatæ memoriæ, vt fortissimus, ita omni doctrina liberali cultissimus. Quam fortiter verò in diuersis bellis pugnavit pro salute patriæ eiusdem frater, Illustrissimus Princeps & Dominus, D. CHRISTIANVS Princeps Anhaltinus, non solum fortissimus, sed etiam doctissimus? adeò vt vtrum literarum an armorum laude præstet, ambiguum relinquat. Vel in nostra patria quis hodie (absit inuidia dictis) doctior illustri & Generoso viro Dn. CAROLO ZEROTINO agnato & patrono meo benignissimo? Quanta autem cum laude virtutum omnium bellicarum superioribus annis & ipse exercitum in Geticos istos latrones duxerit, nemini est ignotum. Audiuiſtis, Auditores, publicos Philosophiæ fructus: nunc priuatos accipite. Si enim vitam singulorum spectemus, facit Philosophia vt homines simus: ne lapis in theatro super lapidem sedeat, vt Oratores verborum, & actores rerum existamus: animum collustrat: voluntatem temperat, cupiditates refrenat: voluptates moderatur. Virtutem suscitatur: Viaticum est ad senectutem: non perit incendio: non mergitur naufragio. Et, cum cæteræ res neq; temporum sint, neque ætatum omnium, neque locorum: Philosophiæ studia, teste Cicerone adolescentiam alunt: senectutem oblectant: secundas res ornant: aduersis perfugium & solatium præbent: delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quid? ampliùsne aliquid requiritur? an conandum nobis, vt alias commoditates nostris etiam verbis exquiramus, vt hanc tam magnificam prædicationem reddamus cumulatiorem? An quicquam esse potest, quod non in tempus aliquod, non in ætatem, non in locum incidat? hæc autem studia auditis, & temporum, & ætatum, & locorum esse omnium. Itaq; quam late horum vsus pateat videtis. Sed quam præclare & tempori-

ORATIO POSTERIOR.

temporibus seruiunt, & conueniunt ætatibus, & apta sunt locis? Adoleſcentiæ incrementa ſunt, & progreſſiones, hanc alunt. Senectutis quies eſt, hanc oblectant. Lætis temporibus cum res ſeundæ ſunt, dignitas imprimis ſpectatur, ornamentum ab his vitæ offertur. Triftibus illis, & his aduerſis ſubleuatio, & auxili-um quæritur, hoc illa præſtant conſolando miſeros, & quaſi in portum quendam recipiendo afflictoſ. Domi recreatio expetitur, horum voluptas eſt ſumma. Foris nihil obſtare volumus rebus gerendis & negotijs noſtris, neminem vnquam hæc impediuerunt, nemini fuere moleſta. Quid: quod ubiq; locorum præſtò ſunt: & omnes vitæ partes ſuſtentant, fulciunt, continent, non recedunt nocte, in itinere comitantur, ruſ proſequuntur. Quæret aliquis igitur uſum horum in vita ſtudioſum? quem per omnia genera hominum, omnes ætates, omnes ordines, omnem fortunam, omni in tempore ac loco patentem atque obuium habeat. Quam Philoſophiæ dignitatem, & præſtantiam penſitantes ſummi Principes, noſtro etiam tempore artes liberales in oculis atq; animo ferre cernuntur: & ut cæteros taceam, certè Illuſtriſſimum Principem ac Dominum, D. IOANNEM GEORGIVM Principem Anhaltinum, &c. Dominum noſtrum benigniſſimum & Clementiſſimum accipimus, quietem ex magnis occupationibus quærentem, in bibliothecam, quam habet inſtructiſſimam, ſeſe abdere: ibiq; multis circumfuſum libris ad multas horas ſedere, eaſq; legendo & perluſtrando optimoſ ſcriptoreſ, conſumere. Neq; verò quenquam ab hoc diuino ſtudio retrahat miſera Philoſophorum nonnullorum conditio: quòd nimirum ſummâ apud homineſ auctõritate non ſemper fuerint, quòd in maxima diuitiarum, omniumq; rerum affluentia non vixerint. Hi enim ut viri fortes, & ſapienteſ, aut animi bona clariffima illis caducis & fluxis rebus longè antepoſuerunt: & applauſum imperiti vulgi nihil curarunt: aut honoreſ, opes, & alia plurima, etiam vtrò oblata repudiarunt: probè ſcienteſ, ea ſe bona poſſidere; quæ illis neutiquam eſſent comparanda, minime verò poſtponenda. Si qui verò trifti quorundam Philoſophorum obitu & exitu vitæ offenduntur, illiſ, quamquam magnam diuerſitatem libenter agnoſcamuſ, opponimuſ exempla ſanctiſſimo-

DE PHILOSOPHIA

rum Patrum, Prophetarum & Apostolorum; Qui & ipsi innocentissimi sæpè tristissimo genere mortis obierunt: Opponimus etiam illud Poætæ:

————— *careat successibus opto,*

Quisquis ab euentu facta notanda putet.

Quid dicam? an non etiam Philosophiæ studium diuitias confert, honoresq; summos exhibet? Cicero de Thalete Milesio scribit, quòd is animaduertens, ex cursu Siderum, olearum vberatatem magnam fore, illo anno omnem oleam, antequam florere cœpit, in agro Milesio coëmit, vnoque anno tantum pecuniæ confecit & conquisiuit, quantum non potuisset omnibus technis suis colligere multorum mercatorum auaritia. De honoribus, quod dixi, vt alios iam silentio præteream, nonnè Socrates parentibus pauperculis genitus ad clarissimum gloriæ lumen accessit? Quid Pythagoram referam? cui Crotoniatarum Senatus mille hominum constans numero, tantum tribuit: vt consilijs eius vti non erubuerit, sed in arduis ac grauissimis causis, ad ipsum, tanquam ad oraculum confugerit, eiusque consilium petierit? Quid Catonem, qui Thusculi natus Romanis fuit acceptissimus, & in magno honore habitus? Cicero, de quo nulla contitescet ætas, humili loco progenitus, nonnè tandem Romæ consulatum gessit, eosque adeptus est honores, quos sine maxima difficultate cœteri ciues generis claritate insignes minimè consequiebantur. Quid? quod fortissimi & maximi reges atque imperatores & Musas ipsas tanquam filias eduxerunt, custodiuerunt, ornauerunt: & harum cultores summo amore cultuq; prosecuti fuerunt? Atq; hanc interpretatione Iouæ genitæ Musæ perhibentur. Sicut Archelaus, cum septem Poëtâs Lyricos in aula haberet, septem se Plejades habere gloriabatur. Crœsus, cum Cyrus victor Sardeis ciuitatem, in qua fuit regia sedes Crœsi & Academia, funditus delere vellet, Crœsus inquam, hanc commonefactionem victori subiecit: *Cave, ne cum vrbe ipsas florentes in eâ, ἀς πηγὰς Φασι τῶν καλῶν ἔιναι*, Artes simul deleas. Magnus ille Alexander in Thebarum direptione familiæ Pindari vnicè iussit parci, adscripto ædibus ipsius hoc versu:

Πινδα

ORATIO POSTERIOR.

Πινδάρη τοῦ μυσσοποιῦ τὰν εἴγαν μὴ καίετε.

Pindari Poëta lectum ne cremate.

Lyfander Lacedæmonius cū Athenas obsideret, audiretque interea loci mortuum Sophoclem, hunc honorem Apiculæ Atticæ habuit, vt hostibus inducias concederet, ad ducendum viro sapienti funus. Possimnè autem hic præterire longè honestissimum de Philosophia & Philosophis Sigismundi Imperatoris iudicium. Cum enim quidam Georgius Fiscellus (vt scribit Aeneas Syluius) Philosophus & Iurisconsultus Legumque Doctor ab ipso Equëstris militiæ insignibus ornatus ad Basiliensem Synodum accessisset, & consultante de rebus arduis Sigismundo, dubius esset ille; legumnè doctoribus in vnum locum, an equitibus item in alium separatim congregatis sese coniungeret, tandemque ad equites inclinaret: Tum, stultè agis, inquit Sigismundus, qui equites doctoribus præfers. Nam ego eiusmodi equites mille, vna die fecerim: doctorem vnum mille annis non fecerim.

Et certe non tanto supercilio deridenda, nec tantopere despicienda auctoritas, liberalitas, & munificentia summorum Imperatorum & heroum: qui hodieq; studia Philosophica summis laudum titulis afficiunt: vt alij ad virtutem præmijs excitentur: Hominesque docti honoribus Academicis conspicui, Reiq; publicæ gubernationi adhibendi à vulgi promiscua multitudine discernantur; hac lege & conditione, si digni & idonei ab alijs doctis, & spectatæ fidei eruditionisque viris, præmissâ graui, acri, rigidaque censurâ iudicentur. Quanquam igitur non obscurum est, non solum vulgi indocti inscitia & stoliditate rideri scholarum ista Choragia & honores Academicos: verum etiam illorum temeritate non rarò despici ac contemni, qui doctrinæ ac eruditionis Spectatores esse ac haberi volunt: non tamen vel istorum risu, stultitiæ argumēto minimè dubio, moueri, vel horum incogitantia perturbari debent liberales animi, vt quæ graui iudicio constituta sunt, & euidentem vtilitatem afferunt, ipsi quoque vel fastidire, vel contemnere velint.

Valetudinem quin etiam Philosophia tuetur, quam Cicero sustentari ait notitia humani corporis, & obseruatione earum

DE PHILOSOPHIA

earum rerum, quæ aut prodesse solent, aut obesse. Hanc verò
 notitiam vnde petamus, quam ex literis? ita M. VARRO pro-
 fessione non erat medicus, & tamen ope Physices in lue pestilen-
 tiali se & familiam præstitit incolumem. Iussit enim obstrui om-
 nes fenestras, præter Arcticas, vnde venti rigidiores spirant. An-
 toninus imperator & Philosophus, referente Galeno, cruditates
 ventriculi solitus est depellere vnius diei inedia, & haustu cyathi
 vino repleti, cui aliquid piperis aspererat. Denique Philosophia
 copiarum cornu est, vnde quicquid collibuerit boni depromere possit.
 Etsi autem negari non potest, multos Philosophorum similes Sy-
 rorum venalium extitisse, quorum vt quisque Græca sciebat opti-
 mè, ita nequissimus erat, in quos congruit illud Epicteti:

ἀνευτὲ πλάττειν, μέχρι τὸ λέγειν:

*Vnde Orator
 Iuanius Perpinianus
 Valentini p. 19.*

Tamen temporum & hominum peruersi mores ex Philosophia
 ipsa non manant, sed illi accidunt: Ac præterea vitia artificum
 non sunt inscribenda ipsis artibus. Quin (si & hoc pacto tolli
 potest hæc controuersia) vt aduersarij malos Philosophos vitupe-
 randos ducunt: Sic nos ipsas artes Philosophiæ bonas laudandas,
 & colendas etiam atque etiam censemus: quibus contra sublatis
 res neq; publica, nec priuata beata esse aut dici potest. Quod per-
 pendentes Mitylenæi, quos populos bello deuicerant, nullam eis
 aliam pœnam irrogabant, nisi vt ne liberos suos literas edocerent.
 Proponite vobis ante oculos omnes vitæ humanæ partes: omnes
 omnis generis conditiones perpendite: Omnes instituendæ vitæ
 rationes, ac vias animo & cogitatione percurrite: nullam omni-
 nò reperietis, quæ non liberalium artium cognitione indigeat. Est
 Philosophia in Ecclesia religionis fida comes & administra: Est
 Philosophia in Principum curia consiliorum & prudentiæ magi-
 stra; Et in iudicium subsellijs ferendæ sententiæ norma: Est in
 campo, est in acie Princeps stratagematum & cogitationum. O-
 stenderem hæc, Auditores, facile exemplis & multis & claris: nisi
 temporis mihi habenda ratio esset. Nihil restare amplius video:
 nisi vt breuiter falsas criminationes de difficultate & molestia Phi-
 losophiæ amoliar. Sed, inquiunt, quis rem tam contortam &
 difficilem velit addiscere? quo quidem, inconsideratius aliquid
 proferri possit, nescio. Si enim propter difficultatem abiciendum
 aliquid

ORATIO POSTERIOR.

aliquid fuerit, quid tandem possidebunt mortales? nonne omnes res etiam optimæ, vtilissimæ, & præstantissimæ abjiciendæ erunt? Quis dicendo exprimere potest infinitam longitudinem, incredibilemque difficultatem Medicinæ? an verò ideò deferenda est? quibus ignota est magnitudo immensorum voluminum, quibus Iura ac Leges continentur? quantis quæso laboribus referta est illa ipsa regina ac domina omnium artium Theologia? Propterea nec è manibus deponenda erit? Denique propone tibi omnes totius vitæ humanæ conditiones: nullam inuenies, quæ suas difficultates non habeat.

— Nil sine magno
 Vita labore dedit mortalibus:
 Nec quisquam fruitur Veris odoribus,
 Hyblæos latebris nec spoliat fauos,
 Si fronti caueat, si timeat rubos.

Qui nucem esse vult, nucleum frangat oportet, inquit Comicus: Tritumque illud est & notum: *δύσκολα τὰ καλὰ*. Quo sensu etiam Isocrates virtutum radices amaras, fructum dulcissimum dixit. Idemque innuit Moly herba apud Homerum à Mercurio Vlyssi tradita. Sed quid de studiorum difficultate conquerimur? Cum Dei beneficio hodiè in eiusmodi ordinem pulcerrimum, & formam propriissimam omnia Philosophiæ præcepta redacta sint, & tam facili methodo comprehensa, vt diligentiam adhibitam sine labore maximo & intolerabili memoriæ infigi, & mandari possint: quo in genere præ reliquis in medio sunt, omniumque manibus feruntur & teruntur aureæ scholæ, & libri magni illius Philippi Melanchthonis: Cuius generum magnum illum itidem Casparum PEVCERVM, & quem honoris causâ nomino, Magnificum, Amplissimum, & Clarissimum virum D. Laurentium BIDERMANNV M, Illustris. Ppr. Anhalt. Cancellarium hîc coram præsentibus intueri, eosque nostrorum qualiumcunque conatum & exercitiorum arbitros habere longè grauissimos, eximia felicitatis loco ducimus. Sed quod de P. R. A. M. O. objiciebatur non assequor, aut intelligo: nec nostrum est tantas componere lites. Quanquam interea recordari queam versuum Ioannis Posthij Poetæ Clarissimi:

E

Quan-

DE PHILOSOPHIA

Quantum uni debet Germania tota PHILIPPO;

Tantum etiam RAMO Gallia docta suo.

Cui quidem iudicio quantum tribuendum sit, dicere iam necesse non habeo. Et quo minus controuersiam istam meam faciam, imbecillitate iudicij prohibeor.

De Iucunditate nihil dicam. Quod enim dulcius aut iucundius animorum ingeniorumque nostrorum pabulum esse potest, quam tantarum, tamque multarum contemplatio rerum, & diuinarum, atque humanarum cognitio? His Philosophus fruitur, ijs mentem pascit, ijs se oblectat, eas solas charas ac iucundas habet. Et ut in beatorum Insulis dicuntur esse arbores quaedam aspectu iucundissimae: quarum in ramis toto anni tempore cernuntur, alij fructus mites iam, & ad maturitatem perducti, alij maturescentes, alij pubentes adhuc, & in primum se florem induentes: Sic illi, qui verè ac seriò philosophantur, toto vitæ tempore quarundam rerum cognitionem honestam ac laudabilem confectam iam esse in animis suis & absolutam intelligunt: quarundam in eo esse ut absoluantur: quarundam inchoari adhuc & informari, primisque ut ita dixerim, coloribus adumbrari. Itaque aliarum recordatio & conscientia; aliarum tractatio ac praesentia; aliarum meditatio, ac prospicientia sic animum afficit, sic mentem oblectat: nihil ut sibi praeterea iucundum aut amabile existimet. Testis Solon; testis Chrysippus, testis Archimedes, qui omnia his studijs postposuerunt, & velut externati, extraque se rapti hanc demum verè vitam esse ostenderunt. Memorabile est, quod Plutarchus scribit: Timotheum Atheniensem Imperatorem aliquando à sumtuosis & militaribus Coenis, à Platone fuisse abductum in Academiam ad mensam frugalem, benè quidem necessariis instructam, sed omnis luxus expertem. Ex quo Philosophico conuiuio, cui instar suauissimi condimenti disputationes eruditæ de varijs rebus admixtæ fuere, hoc ipse commodi & utilitatis sensit, domumque reportauit, ut nullâ crapulâ onerato sincerus somnus ac vera solidaque voluptas postea contingerit. Quod cum is animaduertisset, dixisse fertur: Eos, qui apud Platonem coenassent: postfridiè etiam bene habere. Additque Plutarchus sententiam præclaram: Magnum profectò est viaticum, ad benè, feliciterque, viuendum

ORATIO POSTERIOR.

dam bona corporis temperies, non obruti, sed expediti, & ad omnes actiones sine impedimento prompti. Sed aliud non minus bonum contigit ijs, qui Platonicam cenam vbi fuissent, consideratio nimirum eorum, quæ inter pocula fuerunt disputata. Nam voluptatum quæ ex cibo & potu capiuntur, illiberalis est recordatio, & planè fluxa atq; caduca, cum tantum sint odoris ac nidoris alicuius pridianæ reliquæ: Argumenta autem quæstionum & orationum Philosophicarum semper recenti memoria obuersantia, etiam eos qui non interfuerunt, si ipsis communicata fuerint, non minus delectant, quam qui coram audiuerunt: quandoquidem hodiè quoq; eruditi homines Socraticis fruuntur conuiujs, perinde atq; ij, qui tum in cœna affuerunt. Hactenus Plutarchus. Nec alienum ab hoc loco est factum illud Caroli IV Rom. Imp. qui aliquando Academiam Pragensem ingressus, cum disputantes liberalium artium Magistros horas quatuor audiisset Purpuratis, quorum animus erat in patinis: hanc ipsius tali loco commemoratorem moleste ferentibus, ac cœnæ tempus adesse monentibus. Mihi, inquit, tempus est minimè: Nā cœna mea hæc est. Maluit sapientis. Imp. animum doctissimorum hominum eruditis sermonibus satiare: quàm corpus epulis laudatissimis & delicatissimis replere. Sicut enim corpora hominum nutriuntur ciborum alimonia: ita doctrinæ eruditio animorum est pabulum, quo mentis excellentia alitur. Vt nesciam, quid tandem aduersarijs in mentem venerit, vel mali euenerit, quòd harum rerum cognitioni sordidissimam agricolarum vitam præferre audeant. Quid enim incogitantius dici, aut commemorari potest, quàm corpus animo, diuina dona atq; munera rebus anteferre caducis & fluxis? Quis non omnibus agricolarum fructibus, qui vix vnum durare possunt annum, præferre malit triplicem illum animorum foetum? Explicationem naturæ dico: descriptionem experendarum fugiendarumq; rerum: & illum de cœlo subductum igniculum, & rationis culturam? quem inquam foetum nulla vetustas, nulla temporis longinquitas, nulla deniq; vis consumere & eripere nobis vnquam potest: vt Pothæus rectè dixerit:

————— Nil non mortale tenemus,
Peioris exceptis ingenijs bonis.

Cum itaq; tam præclarum & amplissimum Dei donum sit Philosophia,

DE PHILOSOPHIA.

lofophia, & pleriq; sapientiffimi, religiofiffimiq; viri fuma cura & ftudio ipfi incubuerint, fummis laudibus ipfam exornarint, fummisq; viribus propagarint, auxerint, promouerint: cum inquã, tot tantaq; vtilitates afferat: tam iucunda fit, tamq; neceffaria, vt fine hac nullum imperium, nulla Reipubl. nulla ciuitas fapienter & iufte administrari, firmaq; manere poffit: Cum deniq; homines humili ac deſpecto loco natos, ad tantos extollat & euehat honores: cum omnem animi dubitationem diluat, deleat, tantaq; bona fuppeditet, quæ nulla neq; tyrannorum neq; latronum vi eripi, auferri, amitti poffint: cum honeftis imas pariat voluptates: cum organum fit quo ad rerum etiam diuinarum cognitionem ex parte perueniamus: cum deniq; nullis aduerfariorum vanis opinionibus euerſi queat: Sed reliqua fortunæ bona omnia ad hanc vnicam collata obſcura, exigua, & ferè nulla aut certè minima putentur: fuma eam amore profequamur, multum temporis ei difcendæ tribuamus: corporis animiq; vigore in ea capeffenda vtamur: ad aliorumq; exempla reſpiciamus: qui nullum laborem declinarunt, nullam moleftiam ſubterfugerunt: vt ab hominum multitudine ſe abſtraherent, & eum attingerent gradum: vbi nec variæ fortunæ viciffitudinem extimeſcerent, nec MORTEM, quæ omnia delet, formidarent: laborem omnem ſpe fructuum libenter perferamus, arduam ſemitam animo forti teramus, ſperantes, fore, vt tandem aliquando ſalebris ſuperatis, ſedibus quietis in arcis cacumine perpetuò fruamur. Quod reliquum eſt, vobis Reuerendi, Magnifici, Ampliffimi, Clariff. Prudentiff. Excellentiſſ. atq; humaniſſimi Auditores gratias agimus, quòd nos tam patienter & benignè audiueritis: Aeternumq; patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti precamur, vt hæc optimarum artium ſtudia ab omnibus corruptelis, ſcæcra integraq; conſeruare: Famem, Peſtem, Bella, Barbariamq; Turcicam ab ijs longè arcere: hancq; eorundem officinam laudatiſſimam, Patresq; & Patronos eiufdem Illuſtriſſ. Principes Anhaltinos Dominos noſtros benigniſſimos & clementiſſimos, omneſq; in hac docentes & diſcentes, quam diutiſſimè incolumes tueri, regere, gubernare, dignetur, donec tandem coràm illam immenſam æternamq; Sapientiam audiamus.

D I X I.

RECTOR GYMNASII
ILLVSTRIS GREGORIVS BERS-
MANNVS S TVDIOSIS BONARVM
artium & disciplinarum.



RÆCORUM sermone tritum est Prouerbiū, *ἐγνώκει ἢ τῆς τῆς; item, αἰ κολοῖς παρὰ κολοῖν;* quorum utroq; secundum Aristotelis interpreta-
tionem significatur, ea quæ cognata sunt ac gene-
ris eiusdem (συγγενῆ ipse appellat) naturæ qua-
dam inclinatione esse sibi inter se iucunda, mutuamq; appetere
congregationem. Est autem hic congregationis appetitus multo
magis conspicuus atq; ardentior in hominibus; de quo ab eodem
Philosopho memorantur & hæc communi sermone usurpata, *ὡς
ἤλιξ ἤλικα τέρπη: ὁ: ὡς αἰ τῶ ὁμοίω φίλον τὸ ὁμοίον;* in homi-
nibus, inquam, quos non tantum societatis inter ipsos vinculum
arctissimum Ratio ut Oratio, quibus antecellunt animantibus, quæ
quod utriusq; careant facultatis usura, ἀλογία Græcis nuncupata
sunt, sed etiam studiorū similitudo iucundissime coniugauit. Quæ
cum ita sint, minime nunc quidem prolixiore opus esse cohortati-
one arbitror ad Illustres huius Gymnasij alumnos, ut sua præ-
sentia celebrent actum scholasticum, qui hodierna die de consilio
Senatus illius post concionem institutus est hora VIII. propter
orationes ἀντιπάλας, quæ habebuntur ab illustribus & generosis
Baronibus ac Dominis, Dn. BARTHOLOMÆO
VVALDENSTEINIO, & Dn. CAROLO
ZEROTINIO. Quorum alter, quod in huiusmodi rbe-
torum præparantibus ad vberiore[m] dicendi facultatem exercita-
tionibus consuetudine receptum est, contra Philosophiam, exer-
cendi ingenij gratia, verba factur[us] est; alter eiusdem suscepturus
est patrocinium atq; defensionem. Cum autem hunc con-
uentum sua præsentia corroboraturi sint, quod confi-
fidimus,

fidimus, etiam ex aula illustris. Pr. nostri, ad hunc inuitati viri
magnifici, sapientia, dignitate, doctrinae eruditione, virtute, &
auctoritate praestantiss. cumq; his ex ampliss. atq; ornatiss. Senatu
ciuitatis huius praecipui quidam: ut de ceteris ad hunc ipsum ex
ordine ecclesiastico & collegio professorum inuitatis viris reue-
rendis clariss. doctissimisq; nihil nunc dicam, qui sua quoq; acces-
sione hanc quasi pompam scholasticam adornaturi sunt: eò libenti-
us adolescentes studiosi congressum hunc sua frequentia non modò
auctiorem, sed etiam conspectiorem reddere non detredebunt; hà-
bituri, sicut decet & par est, honorem hunc, cum Illustriss. Prin-
cipi, Dn. ac Mæcenati nostro clementiss. benignissimog; tum illu-
stribus ac generosis Dn. Baronibus, qui huius Gymnasij inter ce-
teros ornamentum sunt eximium ac singulare. Cùm enim sua ad
nos migratione scholæ huic illustri, quam studiorum suorum sedem
ac domicilium delegerunt, auctoritatem atq; existimationem non
vulgarem conciliare non dedignati fuerint; non alienum ab offi-
cio suo fecerint studiosi nostri, si hanc in militia literarum commi-
litionibus egregijs gratiam retulerint, non modò praesentiam suam
& aures benignas illis commodando, sed ipsorum etiam exemplum
consimilibus declamationum exercitijs sedulò & diligenter
imitando. PP. Seruest. A. D. XXVI. mens. Quint.
Julian. Anno O. R. M. D. XCVII.



EPIGRAMMA.

Fortè per Aonios nuper Tritonia campos,
Quà celebri est Helicon vertice, fecit iter.

Quam mox diuarum turba his aggressa que-

Ne pigeat, nobis ocys affer opem. (reliis:

Adspice, Gradiui proceres ut castra morentur,

Ad nostra exiguus templa feratur honos.

Illam refert: gaudete mea, gaudete sorores;

Scilicet in studia est jus mihi & arma simul.

Hinc geminam multi pariter mihi laude triu m
phant,

Laureola geminam fronde tenente vicem.

En agite hic plantas generosi seminis, illo

Posthabito, vobis sponte dedisse manus.

Tuq; ò præclara non ultima gloria gentis,

Carole, & (hei) viduo cura suprema patri.

Illustri felix patruo, præstantior alter

Quo non Morauo limite sceptram gerit:

Carole, nõ animi hac unquam cultura remittat,

Sicut tibi sic multo fenore messis erit.

Interea & Zerotina mihi, & Waldsteinia,

parq;

His Budovvessa decus floreat usq; domus.

Nathan Voit.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of entries. The paper is aged and shows signs of wear, including a blue border on the left side.



Fa 1388,
80

Ink.

[Faint blue ink scribble]



TIO ET LAVDA,
ILOSOPHIAE,

RATIONIBVS
ri Illustrissimorum Princi-
porum &c. Gymna-
sta instituta;

AB
erosi Adolescentibus:
ÆO WALDSTEINIO.
&
ZEROTINO.

mformatione
Voiti Borussi.

VESTÆ.

L. D. XCVII. Sum. Petri & Pauli